

ad retinendum subjectorum favorem , quem haec tenus egregium habuistis, Vos ipsi cogitate. Perpendite etiam Dei iram, quam Vos, sitalem persecutionem vel approbetis, vel juvetis, Vobis cumulatis. Conscientia certè omnes eos convincit , qui Deum timentes, sacras literas nostramque religionem pernoverunt , nos nullum dogma, quod ex sacris literis desumptum non sit, habere, vel profiteri. Mementote, Vobis ante paucos annos divinitùs concionatorem constitutum *Franciscum Spiram*, qui quām horribiliter vociferatus sit Patavii, & alibi, *se in aeternum damnatum propter illam nefariam abnegationem puræ CHRISTI veritatis, quam Citadelle in patria fecerat*: ac quām pertinaciter desperaverit, nemo fermè non novit. Nolite, quæso, putare, humanum aut fortuitum quiddam fuisse , tam horribilem desperationem. Non fuit humanum , Judam, post proditum mundi salvatorem, præ nimio terrore ac desperatione laqueo semet ipsum suspendisse, sed ingenti ac ineffabili Dei ira eò compellus fuit: tametsi Deus eum simul tam tristi exemplo, Pilato, Scribis, Pontificibus ac omnibus Judæis pœnitentiam prædicare voluit. Atqui Spira non minus horribiliter, si non etiam magis, quām Judas ipse, desperavit: utpote qui tam diu tam horrendè sit vociferatus, neq; voluerit ulli consolationi locum dare, cùm plurimi eum sedulò consolarentur, & sine intermissione semetipsum interficere conatus sit. Omnes optaremus, sicut dives ille ad Abrahamum Patrem vociferatur , aliquem ex inferno ad nos redire, nobisque indicare , quæ illic rerum ratio sit , ac propter quæ facta homines benè aut malè in altera vita habeant. Atqui Spiram viventem in inferni cruciatibus existere, omnibusque horribiliter concionari & vociferari , se propter abnegationem ac damnationem agniti Evangelii JESU CHRISTI ad aeternum supplicium cum Diabolis adjudicatum, plurimi , præsertim Patavii, corām audiverunt & viderunt. Nolite putare, illam tantam Dei iram tantū ad ipsum pertinere: sicut Judæi dicebant ad Judam vociferantem, se justum sanguinem prodidisse, **TU VIDERIS.** Credite mihi, & ad Vos pertinet , qui fertis in vestris ditionibus, ubi Christo portas aperire debuissetis , fidos subditos vestros , metu mortis & crudelium suppliciorum ad tam tetram ac impiam dam-

na-